

gium solum datur ad tollendum scrupulum vel dubium, et conferendum certum et speciale titulum illius potestatis, ut dixi lib. 6 de Voto, c. 19, n. 7.

7. *Tertia conclusio. — Ratio conclusionis.* — Tertio, si verba privilegii possunt cum proprietate comprehendere effectum jure communi non concessum, tale privilegium habet effectum substantialiter distinctum a jure communi, nec est limitandum ad solum novum titulum, seu modum, etiamsi illum comprehendere possit. Ut, verbi gratia, si detur simplici sacerdoti privilegium ministrandi sacramentum poenitentiae, per illud privilegium datur potestas absolvendi a mortalibus peccatis saltem ordinariis et non reservatis; quia, licet sacramentum poenitentiae possit ministrari absolvendo tantum a venialibus, quando poenitens alia non habet, nihilominus illa potestas jure communi concessa est omnibus sacerdotibus, ideoque per illud privilegium major potestas confertur. Item, si parochus conferat subdito facultatem confitendi alieno, intelligitur conferre licentiam ut confiteri et absolvi possit, etiam de mortalibus non reservatis, quia censetur dare aliquid ultra jus commune. Quae exempla certa et communia sunt, et ita videtur esse etiam assertio. Ratio vero ejus sufficiens est, quae in principio fuit secundo loco posita, quia hujusmodi privilegia sunt favorabilia et amplianda. Item quia hic videtur esse communis sensus talium concessionum, et maxime accommodatus materiis talium privilegiorum et intentioni petentium; nam superior, concedens privilegium vel licentiam, intelligitur loqui communi more, et accommodato rebus et intentioni subditorum. Denique quia verba talium privilegiorum solent esse indefinita, et cum proprietate possunt complecti totum illum effectum, ut in exemplis adductis patet; ergo non sunt sine cogente necessitate limitanda, quia sicut in doctrinis, ita et in legibus indefinita locutio de se aequivalet universali, ut possit habere certam et determinatam significationem, nec voluntarie possit uno vel alio modo limitari, sed solum juxta juris exigentiam. Quod potest alio exemplo declarari: nam si Prae-latus det subdito habili facultatem recipiendi a quocumque Antistite ordines indefinite, intelligitur etiam de sacris, licet de legitimatione ad ordines aliud dici soleat, quia est specialiter contra jus, propter inhabilitatem personae; hic autem secus est, quia cum persona sit habilis, ut supponitur, nulla est ratio li-

mitandi verba quae contra concedentem amplianda sunt, cum alteri juri non praepjudicant.

8. *Quarta conclusio.* — Quarto, si verba privilegii in proprietate sumpta non possunt habere effectum substantialiter diversum a jure communi, seu supra jus, nisi operando simul contra jus, et alias possunt habere effectum diversum, quoad modum, valde dubium est an operetur simul utrumque effectum, vel tantum posteriorem, nisi in privilegio addatur clausula derogatoria juris communis. Ut, verbi gratia, si rex concedat alicui homini alias libero indultum, ut libere sinatur transire fines regni et exire cum rebus quas secum defert, dummodo solvat vectigalia consueti, dubitari non immerito potest an, ex vi talis indulti, possit ille ferre res prohibitas educi de regno, et hoc debeat illi permitti. Nam si tale indultum non operetur hunc effectum, nullum habebit supra jus, quia unicuique liberum est de regno exire, et secum ferre res non prohibitas, solvendo pro illis debita vectigalia; ergo ut operetur supra jus, oportet ut etiam operetur contra jus, dando facultatem trahendi secum res prohibitas. Ergo videtur hoc esse admittendum, quia alias nimis frivolum esset indultum quod, in alio sensu solum, majorem quamdam securitatem vel recommendationem conferre videretur. Item quia illa extensio cadit sub proprietatem illorum verborum, *cum rebus suis, vel quas secum defert*, quae universalibus, seu distributis aequivalent. Ac denique tota extensio videtur esse contra concedentem: ergo. In contrarium vero est, quia in illo indulto non ponitur specifica concessio, nec clausula derogatoria juris prohibentis res aliquas educere de regno, ut in assertione supponitur. Generalis autem locutio, non solum indefinita, sed distributa, non comprehendit specialia quae sunt contra jus, tum ex illo principio juris, quod sub generali locutione non veniunt ea quae sunt contra jus, neque illa quae in specie non esset princeps verisimiliter concessurus; tum etiam quia derogatio jurium vitanda est, quoad fieri possit. Atque ita illa extensio nec est secundum proprietatem verborum, prout de jure intelligi debent, nec est contra solum principem, sed contra commune bonum reipublicae, cujus interest ne tales res e regno extrahantur.

9. Quocirca decisio similis dubii, et effectus privilegii in tali eventu multum pendet ex illa quaestione supra tractata, an privilegium

deroget juri communi, quando non addit clausulam derogatoriam. Nam juxta opinionem generaliter id negantem, constat, etiam in hoc casu, simpliciter dicendum esse tale privilegium non habere effectum substantialiter diversum ab his qui licent per jus commune, quia, ad habendum illum, oportet aliquid concedere contra jus, quod sine clausula derogatoria facere non potest. Nec erit inconveniens quod tunc indultum imperfectissimam rationem privilegii retineat, imo vix possit sic nominari, sed recommendatio, vel salvus conductus: nam hoc sibi debet imputare impetrans qui majorem declarationem non procuravit; nam si illam procuravit, et obtinere non potuit, signum est principem noluisse plus concedere. At vero, juxta aliam opinionem, affirmantem privilegium derogare juri communi, etiam sine speciali clausula, contrarium erit dicendum in praesenti casu, non tamen generaliter, nec sine magna limitatione et circumspectione verborum privilegii; oportet enim ex eis conjectare an fuerit mens principis proprium et rigorosum privilegium concedere, vel solum favorem aliquem et specialem curam circa talem personam ostendere, ut nulla vis aut injuria illi fiat; nam in priori sensu admittenda est extensio juxta dictam opinionem, non vero in posteriori. Neque erit difficile, ex tenore rescripti, attente considerato initio, progressu et verbis ejus, intentionem scribentis probabiliter saltem conjectare, juxta regulam mox tradendam de privilegiorum interpretatione. In dubio tamen in eam partem inclinandum est ut leges serventur.

10. *Effectum per se privilegii esse aliquod morale jus consistens in facultate, obligatione, vel carentia obligationis, vel capacitate morali aut ablatione inhabilitatis moralis.* — Tandem circa hanc partem, seu effectum privilegii, ut privilegium est, tractari potest quaestio an talis effectus vere et proprie fiat virtute privilegii, vel tantum fictione juris. Sed hanc quaestionem in superioribus sufficienter attigimus, tractando de privilegio *ad instar*, ex Bald. in l. *In urbe*, ff. de Stat. hom. Et resolutio in summa est effectum per se privilegii esse aliquod morale jus consistens in facultate, vel obligatione, vel carentia obligationis, vel capacitate morali, aut ablatione inhabilitatis moralis. Hic autem effectus potest spectari secundum se, et absolute, et ut sic semper est verus effectus absque ulla fictione juris, imo per introductionem novi seu specialis juris. Hoc patet inductione, quia privilegiatus

ne excommunicari vel suspendi possit nisi tali vel tali modo aut a tali iudice, licet aliter censureretur, revera non manet ligatus vere et proprie, sine ulla juris fictione, et consequenter per tale privilegium vere est factus incapax moraliter talis censurae alio modo latae; sic etiam privilegiatus ad comedendum carnes in aliquibus diebus quadragesimae vere manet immunis a praeepto jejunii, et sic de aliis. Denique, sicut dispensatio vere tollit impedimentum aut obligationem, et praescriptio vel donatio vere confert dominium, et lex irritans vere annullat contractum, ita privilegium suos morales effectus vere et sine ulla fictione confert. Ratio vero est, quia hi effectus morales non consistunt in aliqua entitate vel qualitate physica, sed in morali habitudine vel denominatione, proveniente ex voluntate superioris aut domini sufficienter declarata, et tunc vere sine fictione fiunt, quando illa voluntas est efficax ad fundandos respectus morales, in quibus dominia, dignitates, et alia multa humana jura consistunt; sed privilegium continet hanc principis voluntatem; ergo.

11. *De effectu privilegii comparato cum aliquo effectu naturali, et physico.* — Solet tamen aliquando effectus privilegii comparari cum aliquo effectu naturali et physico, et respectu illius dicitur interdum fieri fictione juris, et non vere, quae comparatio non in omnibus effectibus privilegiorum habet locum, et ubi facta fuerit, sano modo intelligenda est locutio, juxta praedicta; verbi gratia, privilegium legitimationis dicitur facere filium legitimum fictione juris, quia revera non confert, nec conferre potest originem ex legitimo matrimonio, quia pendet ex actu praeterito, qui non est in potestate legislatoris. Et licet dicatur interdum retraheri, id est fictione juris, non vere; nihilominus, considerando in filio legitimo non originis modum, sed capacitatem quamdam moralem ad plures effectus morales, civiles, aut canonicos, quam habet, nisi ob aliam causam illa privetur, illa capacitas vere et manifeste confertur filio illegitimo per legitimationem, ut ex dictis patet: unde, si denominatio legitimi non sumeretur ex origine, sed ex ista capacitate, vere et non fecte diceretur legitimatus, factus legitimus. Vel, e converso, si in filio legitimo consideretur non modus originis, sed capacitas moralis ad multa, quam habet, non ex se, sed ex institutione humana per leges, vel canones, et legitimitatio solum significet ablationem hujus in-

capacitatis, sic vere et sine fictione fit per privilegium, sicut vere aufertur irregularitas per dispensationem, et ita dici potest per illam fieri aliquis vere regularis. Et ita sunt intelligendæ similes locutiones in privilegio nobilitatis aut urbanitatis, et similibus.

12. *Dubium incidens.* — De quibus solet ulterius inquiri an effectus factus per privilegium æquiparetur, seu sit æqualis naturali, tam in re quam in absoluta appellatione; quod tractat Bart. in l. *Si is qui pro emptore*, ff. de Usucap., fere per totam, præsertim a n. 33 usque ad 36, 43 et sequentibus, et in leg. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 62; et Bald., in l. 4, c. ad Velleianum. Non potest autem quæri an æquiparetur in naturali effectu (ut sic dicam), id est, in origine ipsa, verbi gratia, ex conjugatis, vel ex nobilibus, vel ex civibus antiquis, etc.; nam hoc modo constat non posse habere æqualitatem, cum nunquam fictio æquetur veritati. Solum ergo potest esse quæstio quoad effectus morales, seu (quod idem est), in morali capacitate, an æqualiter sit restituta vel collata. Et in hoc videtur mihi non posse generalem regulam assignari de facto, sed de possibili tantum. Nam privilegium sine dubio potest ad totum extendi, quia totum est morale, pendetque ex jure, quod potest quoad omnes suos effectus per privilegium immutari. De facto vero interdum privilegium integre restituet omnia, interdum vero minime, juxta tenorem privilegii et jurium dispositionem, ut, legitimatio facta, virtute juris canonici, per subsequens matrimonium, omnia restituit quæ haberet proles a principio nata ex legitimo matrimonio, quod fortasse non faciunt aliæ legitimatones; verba ergo privilegiorum attendenda sunt et usus.

13. *De æquiparatione in alicujus nominis appellatione, vel comprehensione sub illius absoluta significatione.* — In alio vero sensu, solet illa quæstio moveri quoad æquiparationem in alicujus nominis appellatione vel comprehensione sub illius absoluta significatione, ut, an nomine filii legitimi veniat legitimatus, vel nomine civis, nobilis, aut doctoris, veniant qui solum ex privilegio tales sunt. Sed hujus interrogationis materia amplissima est, de qua videri potest Glossa in cap. *Susceptum*, de Rescriptis, in 6, verb. *Non morte*, et ibi doctores; et videri potest Glossa in l. 3, § *Hæc verba*, verb. *Hæredis*, ff. de Negot. gest., et ibi doctores et Bartolus supra; et Baldus, lib. 5, consil. 139; et Geminian.,

cons. 66; et supra tacta est, lib. 6, cap. 2; nec accuratior de illa re disputatio ad nos spectat, ideoque duo tantum, vel tria circa illam advertam. Primum est, quando privilegium datur ad tollendum defectum, vel incapacitatem aliquam, aut inhabilitatem, et in eo adduntur verba significantia plenam restitutionem et reductionem ad statum habilem, retrahendo privilegium usque ad radicem defectus (ut sic dicam), tunc æquiparari privilegium, etiam quoad nominis appellationem, cum vero exemplari. Ita ut, quoad omnes morales effectus juridicos, seu qui juris adminiculo fiunt, sub tali nomine vel appellatione comprehendatur. Exemplum potest esse in filio legitimo per subsequens matrimonium virtute juris canonici; nam venit appellatione filiorum legitimorum, ut est communiter receptum; idem ergo erit in omni simili privilegio, etiamsi alio modo, vel alio titulo ac verbis concedatur. Nam ratio semper est eadem, nimirum quod illa appellatio, ut sic spectata, non sumitur a naturali proprietate, sed ex juris efficacia, quæ per privilegium impeditur, et contraria appellatio sufficienter tribuitur, quantum ad omnes illos effectus necessaria est. Alias voluntas principis non esset efficax ad tale privilegium concedendum, cujus contrarium supponitur in ipso privilegio, et supra probatum est ex naturalium effectuum: unde colligitur, ubi privilegium non est tam amplum, et expresse concessum, non sequi talem æquiparationem absolute, et simpliciter ex vi illius, sed solum quoad effectus propter quos tale privilegium conceditur.

14. *Cavendum ne extensio fiat in præjudicium tertii, aut in derogationem alicujus statuti.* — Circa hoc tamen est, secundo, observandum maxime cavendum esse ne extensio aliqua fiat in præjudicium tertii, aut derogationem alicujus statuti specificè postulantis talem vel talem conditionem naturalem, ut esse legitimum, non esse ex infecta origine, vel habere originariam nobilitatem, vel similes. Nam privilegium non derogat his statutis, nec præjudicat juri tertii, nisi expresse illa revocet, vel declaret ut talis persona reputetur talis vel talis, vel ut sub tali appellatione veniat in ordine ad tales effectus, non obstante quocumque statuto vel jure in contrarium. Hoc enim aperte colligitur ex communi doctrina quam Bartolus supra late tradit, et in superioribus sæpe inculcata est. Ultimo, observandum est, propter exempla supra ad-

ducta, hoc procedere tantum, quando proprietas, vel conditio personæ a qua nomen est sumptum, est naturalis vel pendens ex aliqua conditione quam lex humana vel voluntas principis non potest supplere, ut est naturalis origo, etc.; secus vero est quando sumitur denominatio ab effectu quem vere et proprie potest lex humana efficere; nam tunc, licet per privilegium conferatur aliter quam fieri soleat ordinario modo, tunc privilegium confert omnimodam æquiparationem sub eodem nomine. Sic enim doctor factus a Papa, vel rege per privilegium, seu rescriptum, tam vere est doctor et venit sub illa appellatione, sicut creatus via ordinaria, quia effectus est idem in facto esse (ut sic dicam), solumque differt in modo, quia a principe fit sine solemnitate jure ordinario requisita, quam ipse potest supplere, et sine illa eundem effectum efficere.

## CAPUT XXIII.

QUEM EFFECTUM POSSIT HABERE PRIVILEGIUM, UT LEX EST.

1. Circa hunc privilegii effectum, unum possumus ex supra dictis supponere, et duo alia inquirere et explicare. Supponimus itaque privilegium, ut habet rationem legis, obligare alios ad quos id potest pertinere, ut privilegiorum suum servent privilegium; nam sine hac obligatione inefficax esset et inutilis privilegii concessio. Ideoque fere in omnibus indultis privilegiorum solet hoc præceptum imponi omnibus iudicibus, vel aliis quibus incumbere potest observantia privilegii. Et quamvis non ita expresse poneretur, ex natura rei sequitur hæc obligatio, supposita validitate privilegii, quia confert jus privilegiario; ratio autem justitiæ postulat ut unicuique jus suum servetur.

2. *An gaudeat aliquis privilegio suo contra pariter privilegiatum.* — *Nota ad resolutionem.* — Dubitari autem potest, primo, an hæc obligatio etiam cadat in alium pariter privilegiatum, quod alias quæri solet, an gaudeat aliquis privilegio suo contra pariter privilegiatum: hæc enim duo vel in idem coincidunt, vel se necessario consequuntur; nam si privilegium valet contra pariter privilegiatum, obligat illum ad servandum alteri jus suum; si autem non valet contra illum, illum non obligabit. Ut ergo utrumque breviter resolvamus, advertimus duobus modis posse duos dici

pariter privilegiatos: uno modo, propter solam similitudinem et æqualitatem privilegiorum, ut si religio Minorum dicatur æque privilegiata religioni Prædicatorum, et e converso; vel duo nobiles quoad immunitates quæ illis ratione nobilitatis conceduntur, et sic de aliis. Alio modo dici possunt aliqui pariter privilegiati, respective et cum oppositione mutua in ordine ad usum ejusdem privilegii, ut si unus habet privilegium ad exigendum, et alius ad non solvendum; vel si unus habet privilegium, ut propter delictum incarcerari aut torqueri non possit, et alius habet, ut quilibet contra se delinquens incarceretur et torqueatur; et hæc posterior est propria et per se comparatio pariter privilegiatorum.

3. *Conclusio affirmativa.* — *Cum similitudo in privilegiis sit valde per accidens ad usum privilegii, ideo unus non potest impedire usum alterius.* — Dico ergo primo: æquiparatio in privilegiis, propter solam similitudinem aut æqualitatem, non obstat quominus et privilegiatus uti possit suo privilegio contra pariter privilegiatum, et hic teneatur illud servare. Ita sumitur ex l. ultim., ff. Ex quibus caus. major., etc., ubi id notant Bartolus, et Baldus. Item Panormitanus, Felinus, et alii, quos refert et sequitur Covar. in regul. *Possessor*, 2 p., § 2, num. 4. Et exemplis declaratur. Nam, licet duæ religiones æquales sint in privilegio, verbi gratia, non solvendi decimas, nihilominus una etiam contra aliam illo gaudebit, quia non tenebitur illas ei solvere; et e contrario hæc tenebitur ab illa non exigere decimas, etiamsi contra alios habeat jus decimarum. Et similiter, licet æque gaudeant privilegio, ut professus in tali religione non possit transire ad aliam, mutuo gaudent privilegio contra se invicem, et similiter tenentur sibi mutuo illud servare. Item, licet duo nobiles æque gaudeant privilegio, ne propter debita incarcerentur, unus contra alium illo utetur, quia licet unus alteri sit debitor, non poterit incarcerari, nec ille qui est creditor posset juste id postulare, sed tenetur alteri privilegium servare. Sic etiam clericus obligatur servare privilegium canonis respectu clerici pariter privilegiati. Et alia exempla sumi possunt ex citatis auctoribus, et ex Roderico, 1 tom., quæstion. 9, art. 12. Ratio vero est, tum quia illa similitudo in privilegiis est valde per accidens ad usum privilegii, et ideo unum non potest impedire usum alterius, etiam circa similem privilegiatum, sicut æqualitas in potentia videndi non obstat quo-